

annos posse celerius plures in lucem proferte, beneficio chalcographiæ, quam græci per typographiam prolati sunt. Non timeant nostrorum studiorum amatores, sibi defuturos autores. Hoc repertum meum chalcographias ingentem eorum numerum producet, ut nunquam ex equo trojano plures exierint uno tempore milites quàm exinde uno anno autores. Neque hoc quoque proximo anno fiet. Certus sum fore eum annum, qui in tota europa, ubi meum repertum observaverint, vel mille autores arabes diversos prolaturus sit. Hos itaque prius edamus, demulque lexica ipsorummet arabum, persarum, turcarum s. tatarorum, & omnium aliarum gentium. Quæ si habuerimus sui solum idiomatis, ea in oriente divendere poterimus, quia non conjuncta sunt latina. pro occidente eadem repetenda, si omnino placet, cum versione. Ante omnia non nobis saltem editiones procurandæ sunt, sed & orientalibus, ut eò ingens mercatura institui queat. Omnium autem lexicorum & autorum hoc, quod sub manibus habemus & delineamus, erit communis versio: hinc omnes illi sequentes etiam milleni autores intelligentur.

CAPVT TERTIVM.

Accedo jam ad significationum tradendarum elegantissimam materiam, quam omnino mihi reservatam ab ipsis orientalium linguarum incunabulis in hunc usque diem stupeo pariter ac gratulor. quapropter in hoc quoque opere magis mea sudabit diligentia. Nam cum nemini, ne arabibus quidem, ex professo uni eorum tractata sit, eo modo quo omnes hactenus desiderarunt, tanto magis in hoc negotio mihi relicto, pleno quidem laboris ac diligentia, pleno tamen & ipso iudicii, acuminis & gratia gloriæque, honestè & magna cum animi mentisque jucunditate laboravero. Quid arabes præstent in suis lexicis, nunc quidem non attingo. Sed solum dico, quid hi nostri, quos confareinamus, fecerint. Videntur data operâ omnia confudisse, ut nihil certi semel esset. Hinc fluctuantur omnes, omnes divinatorum magis ad instar, quàm ad lexicographorû normam scribunt. Hoc inspicienti apparet. De vetusto giggai, & octodecim annorum labore jam satis planæ & sæpè exauditæ querelæ, quas repetere nihil attinet. De fabrica illa latino-italo-arabica

bica